lingue quam ferre? superba fuit ancilla sa
re agar. et afflicta est a domina sua propter
superbiam; disciplina erat illa, non poena. ideo
cum recessisset a domina sua quid ei dixit angelus?
reuertere ad dominam tuam; Sic ergo carnalis
anima tamquam ancilla superba; si forte aliquas
molestias passa est propter disciplinam; quid insanis? redi
ad dominam tuam. tene dominicam pacem; ecce proferimus
evangelium legimus quam diffunditur ecclesia; dispu
tatur et dicitur nobis; traditores; cuius rei traditores?
christus commendat ecclesiam suam et non credis; ego tibi credam
maledicenti parentibus meis? uis ut
credam tibi de traditoribus? crede tu prius christo
quid est dignius; christus deus est, tu homo es; cui prius cre
dendum? christus ecclesiam suam toto orbe diffundit;
Si ego dico contemne; evangelium loquitur caue;
quid dicit evangelium? oportebat christum pati et re
surgere die tertia et praedicare in nomine eius pae
nitentiam et remissionem peccatorum; Ubi remissio
peccatorum; ecclesia est; quomodo ecclesia? Illi enim
dictum est tibi dabo claues regni caelorum. et quae
cumque solueris in terra soluta erunt et in caelis; et quae
ligaueris in terra ligata erunt et in caelis; quam
diffundit ista remissio peccatorum? per omnes gentes

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_218/0176